

bente administrationem rerum Ecclesiæ facta, non sit vera alienatio: quia per talem repudiationem non diminuitur patrimonium Ecclesiæ, sed solum eidem non acquiritur. Hoc autem non importat veram, et proprie dictam alienationem; alioquin talis non acquisitio etiam comprehendi deberet sub allegato edicto, utpote se extendente ad omnem omnino in fraudem creditorum factam alienationem. Idipsum patet ex dictis supra n. 41.

46. *Legatum in continenti acquiritur legatario: et quomodo?* — Ad alteram minoris probationem, supra n. 35. desumptam ex l. A Tertio. ff. de Furtis, respondetur, dictum illud, quod legatum, in continenti acquiratur ipsi Ecclesiæ, etiam ignoranti, procedere duntaxat, quando legatum istud acceptatur: secus, si repudiatur, per textus n. 40. allegatos. Dicitur autem legatum, si postea acceptetur, in continenti acquiri legatario, partim, per fictionem juris: nam quantum attinet ad veritatem, legatum transit ad legatarium non statim, sed adita hæreditate, ut notat citata Glossa, arg. l. Si tibi homo. § Cum servus. ff. de Legat. I. Partim ex eo, quia legatum recta via transit ad legatarium, ita ut nunquam sit factum hæredis, si acceptetur; prout explicatur in l. Legatum ff. de Legat. II. ibi: « Quod eo pertinet, ut si pure res relicta sit, et legatarius non repudiaverit defuncti voluntatem, recta via dominium, quod hæreditatis fuit, ad legatarium transeat, nunquam factum hæredis. » Hæc ibi. Atque in eodem sensu legatum acquiratur etiam ignoranti: quia videlicet, si postmodum acceptetur, cum oneribus et emolumentis suis transit ad legatarium statim a momento mortis testatoris, etiamsi pro tunc legatarius ignoraverit legatum sibi relictum.

47. *Solvuntur cæteræ rationes negativæ sententiæ.* — Ad rationes n. 36. allatas respondetur, eas procedere, quando legatum expresse, vel tacite fuit acceptatum: tunc enim tribuit jus ad rem, paritque actionem personalem, quæ sine alienatione cedi non potest. Secus vero dicendum, quando legatum repudiatur: tunc enim nunquam retro censetur fuisse Ecclesiæ, sicque nec jus ad rem, neque actionem tribuisse, per jura n. 40. citata. Ad regulam juris, « Qui actionem, » etc. dicitur, eam loqui de jure in re, et correspondente sibi actione: hoc autem non facit ad propositum, quando legatum repudiatur.

48. Ad confirmationem n. 37. positam, dicitur, inde solum sequi, quod prælatus sine justa causa repudians legatum Ecclesiæ peccet; sicque illicite agat repudiando, non autem invalide, prout amplius dicitur infra n. 53 et 54. Dum vero allegatur regula 76. juris in 6. « Delictum personæ, » etc. Respondetur præter alias hujus Regulæ fallentias, eam potissimum procedere in acquisitis: secus in acquirendis, ut notat Glossa, can. Illud. § Si ergo. 16. q. 6. §. Meliorem, et Abbas, c. Tua nuper. n. 9. h. t. Sive, ut inquit Innocentius, cap. II. de Donationib. Regula illa locum habet, quando agitur de damno vitando, non de lucro captando: prout in simili habetur l. Ex libris. § Hoc etenim. C. de Acquirend. possess. ibi: « Antiqua regula juris, quæ definivit, deteriorem conditionem per servum domino nullo modo fieri, tunc locum habet, cum dominus de damno periclitetur, non cum sibi lacrum per servum acquiri desiderat. »

49. *Proponuntur aliæ objectiones, et solvuntur. Pollicitatio facta reipublicæ, vel civitati, an obliget ante acceptationem?* — Urgebis, atque objicies ulterius contra prædictam conclusionem. In legatis ad pias causas non requiritur specialis acceptatio hominis, seu prælati, ut transeant in jus Ecclesiæ: ergo nulla solutio. Probatur antecedens, tum quia pollicitatio facta reipublicæ, vel civitati, obligat ante acceptationem, arg. l. I. et seqq. ff. de Pollicitationib. cum similibus: tum quia a Deo, utpote qui est verus legatarius, non prælatus, illico acceptantur pollicitationes, atque legata ad pias causas. Resp. neg. anteced. Ad cujus primam probationem, negatur assumptum. Quia, ut notat Lessius, l. II. de just. et jur. cap. XVIII. n. 40. in ejusmodi legibus jus civile non efficit, ut pollicitatio facta civitati, etc. vim habeat ante acceptationem; sed, ne ea possit acceptari, ac promissum peti: prout indicatur in l. Pactum. ff. de Pollicitationib. Hinc, ut vi talis pollicitationis teneatur quis solvere, requiritur insuper subsequens acceptatio civitatis, juxta textum notabilem in cit. l. I. eod. ubi expresse dicitur, non semper obligari eum, qui pollicitus est reipublicæ: sed tunc primum quando quis promisit ob honorem sibi decretum, vel decernendum; aut si quidem sine causa promiserit, opus tamen promissum facere jam cœperit. In his enim casibus jam intervenit acceptatio reipublicæ.

50. *Votum obligat ante aliam acceptationem*

hominis, non autem legatum Ecclesiæ factum. Invito beneficium non tribuitur. Inter pollicitationes, et legata, est magna disparitas. — Ad alteram partem antecedentis pariter negatur assumptum. Quamvis enim votum Deo factum illico acceptetur a Deo, sicque obliget ante quamcunque aliam acceptationem hominis: secus tamen dicendum de legato Ecclesiæ facto. Quia enim « invito beneficium non tribuitur, » ut dicitur, l. Invito. ff. de Reg. jur. sed requiritur acceptatio ipsius, l. Absenti, ff. de Donation. hinc neque Deus, neque Ecclesia vel monasterium vult acceptare legatum, quod prælatus repudiavit, utpote cui commissa est administratio honorum Ecclesiæ. Accedit, magnam esse disparitatem inter pollicitationes et legata: nam illæ, postquam sunt acceptatæ, habent vim pacti, seu donationis inter vivos; qualis regulariter amplius revocari non potest. Secus est legatis, quæ licet sint facta ad pias causas, cum tamen fiant mortis causa, possunt in vita semper libere revocari; et post mortem, donec acceptentur, morantur in suspensio: si tamen repudiata fuerint, nunquam censentur fuisse legatarii, etiamsi essent causæ piæ relicta.

51. *Ecclesia, an fungatur jure pupilli?* — Instabis. Ecclesia fungitur jure pupilli: atqui repudiatio legati respectu pupilli, est alienatio, et invalida; ergo etiam repudiatio legati respectu Ecclesiæ, a solo prælato facta, erit invalida. Major probatur ex c. Requisivit. 1. De in integrum restitut. ibi: « Cum Ecclesia jure minoris debeat semper illæsa servari. » Quod ipsum habetur in c. Auditis. 3. eod. ibi: « Nos attendentes, quod utraque Ecclesia fungatur jure minoris. » Et quod Ecclesia æquiparetur pupillo, notat Glossa can. Sine exceptione. 12. q. 2. §. Profuturum, et alia Glossa, l. Respublica. §. Solet. c. Quibus ex causis majores, etc. et l. Libertos. §. Administraverunt. c. de Excusationib. tutor. et Fagnanus, c. Novit. n. 25. Ne sede vacante, etc., citans alios, et Engel, tit. de Rebus Eccles. non alienand. n. 9. vers. Nec sufficit. alique. Minor. vero constat ex l. Magis puto. §. Fundum. ff. de Rebus eorum, qui sub tutela, etc. cujus verba n. 35. relata sunt.

52. Resp. neg. major. Quia Ecclesia fungitur quidem jure minoris, non tamen jure pupilli; ut bene notat Glossa, cit. c. Auditis. vers. Jure minoris. De in integrum restitut. Nam contra pupillarem ætatem non currit præscriptio, l. Ricut in rem. c. de Præscript.

30. ann. At vero contra Ecclesiam currit præscriptio quadraginta annorum, nisi vacaverit, c. Ad aures. 6. et c. Illud autem. 8. c. Auditis. 15. de Præscription. Ad textus in probationem majoris allegatos, dicitur, eos parum probare, cum expressis verbis loquantur solum de jure minoris; uti patet ex relatis verbis: « Ecclesia fungitur jure Minoris, » etc., et consequenter non jure pupilli. Intellige tamen istud de Ecclesia non vacante, de qua procedit præsens quæstio, utpote loquens de Prælato ipsius: nam quod Ecclesia vacans, seu destituta Pastore suo, possit æquiparari pupillo, hujusque jure fungatur, ultro conceditur, post Glossam, et doctores proxime allegatos; estque jam dictum supra tit. præced. n. 14.

53. *Repudiatio legati Ecclesiæ facti est illicita, et peccaminosa, si fiat absque justa causa; teneturque prælatus ad satisfaciendum Ecclesiæ.* — Resp. II. Etsi repudiatio legati Ecclesiæ facti sit valida, juxta hactenus dicta; nihilominus ejusmodi repudiatio, si per prælatum absque justa causa fiat, est illicita, peccaminosa, atque injuriosa Ecclesiæ: adeo, ut prælatus teneatur ad satisfaciendum Ecclesiæ, si habeat proprium, unde satisfaciatur. Ita communis. Siquidem prælatus vi officii sui, adeoque ex obligatione virtutis justitiæ, tenetur procurare commodum et utilitatem Ecclesiæ sibi commissæ, eidemque acquirere, in quantum potest, can. Quicumque. 12. q. 4. juncta Glossa, vers. Aut neglectum, cum concordantiis. Unde consequens est, quod prælatus ille, qui sine justa causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, non solum illicite egerit, atque peccaverit; sed etiam compelli possit, ut de suo, si proprium habeat, satisfaciatur Ecclesiæ, utpote quam injuste damnificavit. Glossa can. Illud. statuendum. § Si ergo. 16. q. 6. vers. Meliorem. Abbas, c. Tua nuper. n. 9. h. t. istud probans exemplo tutoris, qui si potuit acquirere pupillo, et non acquisivit, tenetur de suo refundere l. Quidquid. c. Arbitrium tutelæ.

54. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. Remissive.* — Nec tamen ex hoc sequitur, quod repudiatio legati Ecclesiæ facti sit invalida. Quamvis enim sit illicita, adhuc tamen, si fiat, existit valida, juxta vulgatum illud: « multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem: » ut inquit Pontifex, in c. Ad Apostolicam. 16. de Regu-

larib. et c. *Cum jamdudum*. 18. de *Præbend.* cum similibus. Quomodo autem hæc regula concordari debeat cum regula 64. juris in 6. « Quæ contra jus fiunt: debent utique pro infectis haberi: » ex professo dictum est supra lib. I. tit. II. de *Constitutionibus*. § 11. n. 245. 246. et seqq.

55. *Quando prælatus male repudiavit legatum, potest Ecclesia graviter læsa petere restitutionem in integrum.* — Resp. III. Insuper, quando prælatus absque justa causa repudiavit legatum Ecclesiæ factum, potest Ecclesia exinde graviter læsa petere beneficium restitutionis in integrum. Ita rursum communis. Nam, quod beneficio restitutionis in integrum gaudeant Ecclesiæ, monasteria, aliaque loca pia, quando in suis bonis vel juribus graviter læsa fuerunt; patet ex dictis supra lib. I. tit. XLI. § 2. n. 32. 33. et seqq. ubi plura de hoc.

TITULUS XI.

De his quæ fiunt a majori parte Capituli.

1. *Ratio continuationis rubricarum.* — Viso de his, quæ possunt fieri a prælatis cum vel sine consensu capituli: merito subjungitur Rubrica præsentis tituli, pro praxi quotidiana scitu summe necessari, quid videlicet possit fieri a toto aliquo capitulo, sive Ecclesiarum cathedralium, sive aliarum inferiorum; et quid juris, si ipsi capitulares varient in suis votis. Hinc sit

I.

DE CAPITULO, EJUSQUE CONVOCATIONE.

2. *Nomen capituli varias habet significaciones. Et quomodo accipiatur quoad propositum?* — Quæritur I. Quid nomine *Capituli* intelligatur, quique ad illud spectare dignoscantur? Resp. I. *Capituli* nomen varias habet significaciones: in proposito tamen sumitur pro ipso canonicorum (vel Regularium) collegio, seu pro ipsis canonicis in unum congregatis. Ita Joan. Andreas in c. *Capitulum*. n. 3. de *Rescript.*; Joan. Calvinus in *Lexico Juridico*. vers. *Capitulum*, et alii. Prima pars patet ex illo vulgato versiculo, quo dicitur de capitulo: « Distinguit, minuit, locat, et

collectio fertur. » Imprimis enim capituli nomen accipitur, prout « distinguit » unam materiam ab alia; et sic dicuntur « Capitula decretalium. » Secundo, Capitulum sumitur pro parvo capite: et sic *minuit*. Tertio *locat*, quatenus Capitulum significat locum, in quo canonici congregantur, resque capitulares firmantur: ut c. *In causis*. 30. de *Election.* ibi: « Qui remanserant in capitulo. » Quarto tandem modo, et quantum ad propositum, accipitur capitulum pro collectione, seu congregatione personarum ecclesiasticarum; puta canonicorum, vel regularium, in unum, seu capitulariter congregatorum: ut c. *Capitulum sanctæ crucis*. 30. de *Rescript.* et alibi, juncta rubrica præsentis tituli. Et per hoc patet altera pars conclusionis.

3. *Ut quis ad capitulum spectare dignoscatur, debet esse subdiaconus. Quod limitatur.* — Resp. II. Ut quis cæteroquin divinis officiis deputatus, spectare dignoscatur ad capitulum Ecclesiæ cathedralis, vel collegiæ sæcularis, aut regularis, vocemque in capitulo habeat, requiritur, quod sit in sacris ordinibus constitutus, atque ad minimum subdiaconus existat. Textus est in Clem. 2. de *Ætate et qualitat.* etc. quæ fuit innovata per concilium Tridentinum, sess. 22. cap. iv. de *Reform.* Quanquam hinc excipiendi sint ordines militares, utpote divinis officiis specialiter non deputati: necnon moniales, quæ propter sexus fragilitatem non sunt capaces sacrorum ordinum, et tamen possunt celebrare sua capitula: prout notat Glossa, in cit. Clem. 2. *Mancipati*; estque jam dictum supra lib. I. tit. XIV. de *Ætate et qualitate*, etc. n. 17. et 18.

4. *Debet etiam esse canonicus, et habere vocem in capitulo. Capitulum constituitur ex solis canonicis.* — Resp. III. Insuper, ut quis censeatur esse de capitulo Ecclesiæ cathedralis, vel alterius, non sufficit, quod sit constitutus in sacris ordinibus, eidemque Ecclesiæ quomodocunque deserviat; sed requiritur ulterius, quod sit canonicus, vocemque habeat in capitulo. Ita Abbas, c. *Scriptum*. n. 4. de *Election.* asserens, quod canonici tantum faciant capitulum, et unum corpus cum episcopo. c. *Novit*. 4. de *his quæ fiunt a prælatis*, etc. nisi aliud habeat consuetudo. Barbosa de *Canonicis*. cap. xxxvii. n. 15. asserens, quod ex solis canonicis capitulum constituitur; atque pro hoc suo dicto allegans Rotam, decis. 708, part. II. *Recent.* et aliam Rotam in *Hispalens. præminentiarum*. 4. julii 1625,

coram Rev. D. Coccino, plures auctores. Hinc clerici beneficiarii, aliique non canonici (sub his etiam comprehendendo præpositos, quando alias non sunt canonici, juxta Abbatem loc. cit.) qui Ecclesiæ cathedrali, aut collegiæ, in celebratione missarum, choroque assistunt, non sunt de capitulo ipsius. Quinimo alicubi, ac præsertim in Germania, etiam canonici supernumerarii (alias *Domicellares* nuncupati) non pertinent ad capitulum, et proinde neque ad istud sunt vocandi: quia videlicet ante obtentam præbendam non consueverunt habere vocem in capitulo.

5. *Appellatione Capituli proprie non venit prælatus, puta episcopus, abbas: bene tamen decanus.* — Quæritur II. An appellatione capituli veniat prælatus? Resp. nomine *Capituli* proprie non venit prælatus, puta episcopus, vel abbas: bene tamen decanus. Ita Glossa in Clem. 2. §. *In eisdem. de Ætate et qualitat.* etc. Abbas, c. *Post electionem*. n. 8. et 9. et Barbosa, ibid. n. 3. de *Concession. præbend.*; Pirhing, h. t. n. 1. et alii; contra card. Tuschum litt. c. concl. 46. et Ancharanum, consil. 248. n. 12. Ratio prioris partis est, quia jus prælaturæ, est jus distinctum a jure capituli; uti patet ex toto titulo, *Ne Sede vacante*, etc. Simulque prælatus et capitulum, sunt diversa: unde etiam sub diversis titulis de eisdem agitur, nimirum tit. X. *De his, quæ fiunt a prælatis*, etc. et præsentis tit. XI. *De his, quæ fiunt a major. part. capit.* Altera pars ex eo probatur: quia decanus proprie est pars capituli. Glossa, et Abbas, c. *Post electionem*. 7. n. 9. de *Concession. præbend.* et alii. Atque in toto, partem non est dubium contineri: ut inquit reg. 80. jur. in 6. *Accedit*, quod in cit. c. *Post electionem*. 7. § *Cum igitur. de concession. Præbend.* litteræ ad capitulum directæ, in quibus nulla fiebat mentio de decano, nihilominus affecerint decanum; prout contra mentem capitularium, resolvit Pontifex ibidem. Et hinc Glossa, ibid. vers. *Nullatenus*, inquit: « Nec erat necesse, facere mentionem de parte, id est de decano: cum pars teneatur in toto, can. *Legimus*. dist. 93. » et alibi.

6. *Solvitur instantia, concluditur quod large loquendo, et in materia favorabili, etiam prælatus comprehendatur nomine capituli.* — Objicies contra priorem partem conclusionis. Prælatus et capitulum faciunt unum corpus, seu unam Ecclesiam, c. *Novit*. 4. de *his, quæ fiunt a prælatis*, etc. ergo nomine capituli

etiam comprehenditur prælatus, puta episcopus, vel abbas. Resp. neg. consequent. Quinimo, ut notat Glossa, in cit. Clem. 2. vers. *In eisdem.* et Abbas, ibid. num. 15. de *Ætate et qualitat.* potius ex hoc desumitur contrarium: nam prælatus hoc ipso, quod sit talis, est superior capitulo; et consequenter sub hujus nomine nequit comprehendendi. Et hoc procedit proprie loquendo, ac materia strictæ interpretationis, arg. c. *Cum Cleric. de Verb. signif.* nam in quadam large verbi significatione, atque in materia favorabili, nomine *Capituli* etiam comprehenditur prælatus, veluti caput ipsius principale; fatetur Glossa, in cit. Clem. 2. vers. *In eisdem de Ætate et qualitat.*, etc. et Abbas d. c. *Post electionem*. n. 8. et 9. de *Concession. præbend.* Et forsitan istud ultimum intenderunt auctores, supra n. 5. in contrarium allegati.

7. *Convocatio capituli pertinet ad præsidem ipsius. Talis respectu canonicorum de consuetudine est decanus.* — Quæritur III. Ad quem spectet convocatio capituli, quique ad illud sint vocandi? Resp. I. Convocatio capituli facienda, quandocunque Ecclesiæ servitio videbitur, pertinet ad præsidem ipsius. Barbosa, tract. de *Canonic. et dignitat.* cap. xxxv. n. 1. Et talis præses capituli respectu canonicorum de consuetudine solet esse decanus: haud obstante, quod archidiaconatus, spectato jure communi, sit prima dignitas post pontificalem; sicque potius ad archidiaconum, tanquam ad majorem pertineret convocare capitulum, arg. cap. i. de *Offic. archidiacon.* et citatis pluribus aliis notat Fagnanus, c. *Ut Abbates*. n. 26. et 27. de *Ætate et qualitat.* In defectum autem decani, seu alterius, ad quem id spectat de jure vel consuetudine, potest capitulum convocari ab antiquiore Innocentius, in cap. i. et Abbas, ibid. n. 4. de *Majoritat. et obed.* Fagnanus, c. *Quia propter*. n. 75. de *Election.* Episcopus etiam potest capitulum convocare, atque vota exquirere, et juxta ea concludere, quando canonicis aliquid habet proponere ad deliberandum, quod ad suum, vel suorum commodum non spectat; verum absente episcopo omnino hoc ab iis, ad quos hoc de jure, vel consuetudine spectat, perficiatur; nec ad id vicarius episcopi admittatur: prout in terminis statuit concilium Tridentinum, sess. 25. cap. vi. de *Reform.*

8. *Ad capitulum extraordinarium sunt convocandi capitulares præsentis. Et quid de ca-*